



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Prædicatoris constantia. Tit. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

TITVLVS III.

lum 270. quomodò honor tolletur à sacerdotibus.

PRÆDICATORIS CON-

stantia.

TITVLVS III.



VGVST. in Ioan. tract. 27. Hoc qui-
libet prædicator studere debet, vt verū
sit quod loquitur & docet. Et si ppter-
eā habeat osores, cōtradiōtores, reces-
sores, non curet: sic enim & Christo fa-
ctum est. Nam prædicans fidem in illū, quod talis nō
moriatur in æternum, volebant eum lapidare, dicen-
tes: Abraham mortuus est, Ioann. 8. prædicans de ve-
nerabili sacramento, quòd fide Christus comedere-
tur & biberetur, abierunt, dicentes: Durus est hic ser-
mo, &c. Ioan. 6. Item docens populū, quæ essent quæ
coinquinarent hominem, Matt. 15. Pharisei sunt plu-
rimū scādalizati, cū dixit: Quod intrat in os, &c.
Ioan. 7. mittunt Pharisei ministros, vt apprehendant
Iesum. At illi audientes eum prædicare, nō capiunt il-
lum, sed respondent Phariseis: Nunquā sic locutus
est homo &c. & alij dicebant, quia bonus est: Alij,
Non, sed seducit turbas &c. Ioā. 7. Et Paulus 2. Cor. 6.
inquit: Vt seductores, & tamen veraces: ergo oportet
prædicatōrē esse constantem, etiam si aliqui recedūt,
aliqui odiunt, etiam multa mala minētur: saltem vi-
deat, quòd verum sit quod doceat.

Secundò, Augu. lib. 50 homiliarū, homilia 11. Præ-
dicator etsi promitteret securitatem peccantibus, &
placencia illis diceret, sicut Esai. dicit 50. Prædicare
nobis placencia &c. Et Paulus, 2. ad Tim. 4. Erit enim
tempus cū sanam doctrinam non sustinebunt, sed
ad sua desideria &c. Sic cōqueritur Dominus per Je-
remiam Prophetam de falsis prophetis cap. 14. Dicet
vobis, Non veniet gladius, &c. Et Ezech. 13. Decepe-
runt populum meum, dicentes, pax pax, & nō est pax.

Aa 5 & sic

Psalm. 52.

& sic faciunt facilem viam intrandi in cœlum per dulcia verba, Roman. 16. Attamen Deus non accipit, nec approbat. Quid enim tibi prodesset, si seruus tibi multa de bonis Domini promitteret? nunquid & hoc Dominus & paterfamiliâs approbabit? Absit. Procurator dicit, Accipe de bonis quid vis, viue quomodo vis, non est peccatum, non te perdet Dominus, securitatem tibi dat seruus procurator: sed Dominus non approbat: sic dissipat Dominus offâ eorum, qui hominibus placent. Galat. 1. Si hominibus placerem, &c. Sic sectę promittunt securitatem, id est, non subditos esse regibus, & remissionem propter solâ fidem sine pœnitentia, Papam & omnia Sacramenta nihil esse. At nunquid hoc Deus in cœlis approbat? Absit: Ideò Christus Mat. 7. tales nō agnoscit, etiamsi prædicauerint & miracula fecerint. inquit enim: Discedite à me operarij iniquitatum, nō noui vos. Apud Ecclesiam catholicam igitur est certitudo & approbatio & efficax verbum, atque Sacramenta, Mat. 25. Vocatis seruis &c. Ideò videant Christiani, vt credant: & prædicator, vt vera doceat. Hęc omnia iudicium Dei examinabit

Tertiò, prædicator quando bona loquitur, tunc Deus per os eius loquitur: si mala, tunc Diabolus, inquit August. Ser. 85. de tempore. Sic & Deus dixit Moyfi Exod. 3. dum se excusaret & diceret: Domine, non sum eruditus, & tardus sum ad loquendum, & c. Ait illi Dominus: Ego aperiam os tuum & instruâ te, quid oporteat loqui &c. Omnibus enim: qui pro veritate, pro iustitia, pro castitate, pro humilitate, pro misericordia loquuntur, & de virtutibus Spiritus sancti, Gal. 5. sine vlla dubitatione os illorum aperit Christus: si autem de luxuria, inuidia, superbia, rapinis, scurrilitate, nequitia, operibus carnis loquuntur &c. horum os aperit Sathanas, siue in ore prædicantis publicè, aut cuiuslibet alius hominis. Et sic ex abundantia

TITVLVS IIII. 7

dantia cordis os loquitur, Luc. 6. Videat ergo quisque quo Spiritu moueatur in locutione sua &c. Nec-
cessarium est etiam vt in omni lectione librorum pa-
stor respiciat ad sententiam & glossema catholicæ
Ecclesiæ. Nam vt dicit Petrus 2. Pet. 1. omnis prophe-
tica scriptura non est priuatæ interpretationis. Non
igitur quid Sectarius docet, sed quid Ecclesia catho-
lica approbat, quæ probat Spiritus an ex Deo sint &c.
1. Ioan. 4. audiendum & recipiendum est. Matt. 18. Qui
Ecclesiam non audierit, &c.

PASTOR CATHOLICVS

esse debet.

TITVLVS IIII.

HRI Stus Ioan. 10. inquit: Habeo a-
lias oues, id est, gentes, quæ non sunt
ex hoc ouili, id est, in congregatione Iu-
dæorum, oportet me & has adducere,
vt vnus sit grex, & vnus pastor: vnus de-
bet esse pastor super terram, sicut vnus est in cælo
Christus, qui nos pascit corpore & sanguine suo Mat-
thæi 26. Et hic in terris vnus est pastor Petrus, cui
Christus Ioan. 21. antequam imponit pastoris offi-
cium, eum examinat, ter quærens: Petre, amas me? &
cur primò quærit de charitate, nisi quòd consolidet
vnitatem? Vnus pastor prædicatur, quia vnitas com-
mendatur. Vult enim esse vnum pastorem & vnum
gregem, & hanc vocem audient oues Christi: qui au-
tem illam non audiunt, sed sibi iuxta sectas suas eli-
gunt pastores, illi non sunt de ouibus Christi, vt in-
quit August. serm. 165. Idèd rogat Apostolus 1. Co-
rinth. 1. per nomen Domini nostri IESV Christi, ne
sint in nobis schismata. Sic serm. 166. Pacem (inquit
Christus Ioan. 14.) meam do vobis, pacem meam re-
linquo vobis, ac si diceret, In pace vos dimisi, in pa-
ce, (id est, ynitate) vos inueniam. Proficiscens voluit
dare,